NELLE FAUSTISSIME NOZZE DEL CONTE TOMMASO GESSI COLLA CONTESSA...

Giuseppe Rossi



NELLE FAUSTISSIME NOZZE

DEL CONTE

TOMMASO GESSI

COLLA CONTESSA

LAURA ZAULI NALDI

I Coniugi

GIUSEPPE ROSSI E CAROLINA DAL POZZO

Parenti dello Sposo

IN SEGNO DI GIUBILO

OFFRONO



FAENZA

DALLA TIPOGRAFIA DI PIETRO CONTI

1870.

IOSEPHI ROSSII EQUITIS

NONNULLA EPIGRAMMATA

CLEMENTI GIOVANARDIO IURISCONSULTO CL.

Irarum abstineas, Clemens, quod ludit inepte
Mignanus, ludum et perdis eo comite:
Non licet invitis illum bene ludere Musis,
Quae, sibi ne ludos anteferat, metuunt.

Faventiae XVIII. Kal. Febr. MDCCCLXVIII.

CAESARI CANTU' EQUITI VIRO CELEBERRIMO.

Si facili accipias animo mea, Caesar, in uno
Edita quae libro carmina mitto tibi;
Nullus te ingenio poterit superare benigno,
Nullus multiplici ut te superat sophia.

III. Non. Febr. MDCCCLXVIII.

4

AD ALOISIUM DALLA VECCHIA CANONICUM EQUITEM VIRUM CLARISSIMUM MITTIT SUAM IMAGINEM LUCE GRAPHICE IMPRESSAM.

Ostendunt animi veros mea carmina sensus;
Haec faciem vere ostendit imago meam.

IV. Id. Apr. MDCCCLXVIII.

ANTONIO FILIO SUO DONAT IMAGINEM B. M. VIRGINIS.

Hanc dono effigiem tibi; in hac cole, gnate, Mariam,
Quae sola est vitae spes columenque tuae.

XVII. Kal. Nov. MDCCCLXVIII.

ALOISIO CIBRARIO COMITI VIRO CELEBERRIMO.

Quae tua seu iuncto pede seu pede scripta soluto
  A te, Cibrari, munera docta tuli,
Cum me bis quinos tenuit Florentia nuper
  Pulcra dies, primum et visere te potui,
Tantum cara mihi, quantum nec gemma nec aurum est,
  Et tuum in his studium admiror et ingenium.
Haec equidem servabo, tui ceu pignus amoris,
  Quem gemmae aut auro gratus ego antefero.

VI. Idus Maias MDCCCLXIX.

DE SE IPSO.

Felsineo natum in Castro me Felsina docta
  Eduxit, studiisque imbuit Aonidum;
Nunc retinet carum materna Faventia civem,
  Qui resono latiis aera carminibus.

Idibus Maiis MDCCCLXIX.

188

DE VERSIBUS IOAN. BAPT. MACCARII.

Non, ut, Maccari, tua carmina, dulce adeo est mel;
Non adeo gratus vere novo Zephyrus:
Illa meum recreant animum, si quando laboro
Curis, ac doleo res miseras hominum.

Nonis Iuniis MDCCCLXIX.

LUCAE VIVARELLIO EQUITI V. C. DE EIUS TRAGEDIA - GIOVANNI II. BENTIVOGLIO -

Dum, Luca tragico suras devincte cothurno,
Felsinei casus Bentivoli miseros
Narras, quot mihi crudelis tua suscitat iras
Sfortia! ut invisae Virginiae timeo!
Quae male, dilecti succensa Hermetis amore,
Conatur dominae saevitiam fugere:
Namque illam extinguunt data tetra venena videntem
Hermetem caesum vulnere obire suum.

Nonis Iuniis MDCCCLXIX.

ALOISIO SANIO V. C. DE AUREO EIUS CARMINUM LIBELLO.

Ingenii venam, Sani, non quaero benignam,
Inque tuis linguam carminibus nitidam;
Est illis utrumque decus; vel dicere laudes
Sumant femineas; vel bene ad astra ferant,
Qui triplex cecinit regnum, patriae exsul, et ira
In patriam, et patrii exarsit amore soli;
Vel Costae resonent Liguri dulcissima, quem iam
Tam carum rapuit mors caput atra mihi;
Vel Divina canant sanctae convivia mensae,
Tum cum haec ingenui primum adeunt pueri;
Vel tractent laetum aut miserum quodcumque per orbem est,
Pingant naturae simplicis et speciem;
Illa quidem cedro tua carmina digna putantur,
Teque bonis merito vatibus adnumerant.

III. Non. Iun. MDCCCLXIX.

ANTONIO SAFFIO EQUITI V. C.

Ne doleas, uno quod verbo scripta vocavi
Aurea, quae, Saffi, dona mihi dederas:
Mens fuit, hoc illis uno verbo addere laudes
Non solum linguae, verum etiam sophiae:
Non aurum grato solum fulgore renidet,
Verum etiam pollet divite materia.

XI. Kal. Quintiles MDCCCLXIX.

AD DOMINICUM MONGIARDINIUM SODALEM BARNABITEM FUNGENTEM VICE RECTORIS IN EPHEBEO S. ALOISII BONONIAE DIE NOMINALI EIUS PRIDIE NONAS SEXTILES AN. MDCCCLXIX.

Cui meus est adeo cordi, pater optime, gnatus,
  Ut mage non illum diligere ipse queam,
Cuncta tibi eveniant cupio felicia votis,
  Nec vana in gnatum sit tua cura meum;
Ille quidem talis succrescat, te duce, qualem
  Et meus atque tuus sedulus optat amor;
Virtutisque ferat maturo tempore fructus,
  Egregios fructus et ferat ingenii.

AD HENRICUM FRANCESCHIUM EQ. VIR. CL. DE UTILISSIMA EIUS OPELLA - CITTA' E CAMPAGNA DIALOGHI DI LINGUA PARLATA -

A te donatus, Franceschi docte, libellus
  Iam mihi, cum orta est nos inter amicitia,
Utilis est pueris ac utilis ille puellis;
  Nam cum aliis versari et docet ille loqui,
Ut sermo purus vitiorum puraque lingua
  Atque animus simul appareat ingenuus:
Non aliter, si forte malis purgaverit herbis
  Cultor agrum, laeta floret ager segete.

VIII. Kal. Decembres MDCCCLXIX.

